

Dado mori cinis in cinerem tandem rediturus  
 Ordine quo cepi desino Dado mori

Dado mori sectans alios sectandus et ipse  
 Ultimus aut primus non ero Dado mori



Jam nichil est totum quod diximus omnia secum Tempus preteriens hora suprema trahit.

Mors

Patriarcha pro vultu demisso  
 Non potestis ab hoc acquitari  
 Jure crucis duplicis amisso  
 Opportet vos finaliter mori  
 Non debetis ex hoc admirari  
 Non cogitans pertingere finem  
 pro papatus studetis honori  
 Spes inepta decipit hominem

Patriarcha

Nunc video quod mundanus honor  
 Me decipit modo leticie  
 Nam ecce nunc quod a morte cogor  
 Arripere vitam tristicie  
 Dix dat honor locum sciencie  
 Parum valens est honor mundanus  
 Vbi locus non adest gratie  
 Ascendentes alta turbat onus

Mors

Mei iuris est vos conducere  
 Ad choream nunc connestabilis  
 Plus carolo magno vos vivere  
 Non oportet res veritabilis  
 Nichil prodest spata terribilis  
 Nec gallea de manu fabrorum  
 Contra mortem nullus est stabilis  
 Dum mors venit nichil est armorum

Connestabilis

Adhuc ego sperabam vincere  
 Multos viros mea potencia  
 Castra urbes multas inuadere  
 Et michimet submittens omnia  
 Sed video quod mors hec impia  
 Nunc me mordet cuius morsus malus  
 Ad quem nulla vite tendit via  
 Contra mortem nulla bona salus